



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CXLIX. Ioannis Papae VIII. Ad Ioannem Episcopvm Ticinensem. Vt cum quodam, qui poenitentiam quinquennio egerat, remissus agat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

EPISTOLA CXLVIII.  
IOANNIS PAPÆ VIII.

AD VVALAM EPISCOPVM METENSEM.

Ne cogatur sponsus vxorem ducere ab alio corruptam.

*Reuerendissimo & sanctissimo Vualeno venerabili episcopo  
Metensi.*

**P**RÆSENTIVM portitor literarum, Alpertus nomine, lacrymabiliter coram nobis veniens questus est de sponsam suam, nomine Vvalatam, adhuc in parentum domo manentem, adulterino concubitu a presbytero quodam prægnantem repertam. Quæ confessa de crimine, libenter ab eo se vult dissociare: sed tua fraternitas pro quadam parentelæ affinitate, coacte eum cogit eandem sumere in coniugium, contra regulas patrum, atque institutionem. Quapropter, si ita est, requisitis super his legum & Canonum institutis, quid de talibus præcipiant promulgate absque personarum acceptione. Data vt supra.

EPISTOLA CXLIX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD IOANNEM EPISCOPVM TICINENSEM.

Vt cum quodam, qui pœnitentiam quinquennio egerat, remissius agat.

*Ioanni venerabili episcopo Ticinensi.*

**L**ATOR præsentium coram nobis veniens dicit, se a prædecessore vestro Liuttfredo venerabili episcopo, quinquennio exacto iam anno, pœnitentiæ fuisse submissum, pro quodam, eo quod interfuit, fure a femina interempto: qua de re vestra fraternitas solerter prospiciat. Et, si ita est vt hic asserit, propter Domini misericordiam, quoniam magna est, cum eodem consultius agat, & prout ordo causæ dictauerit, frenum canonici vigoris remittite. Velsi quidquam, quod non optamus, impossibile perpersum fuerit; id nostro iudicio vestra fraternitas studeat lenitate spiritus reseruare. Data vt supra.